












24 dono dedit ipse auctor

ORATIO

DE

GERMANO THEOLOGO,

LITERARUM SACRARUM INTERPRETE.

ABR. DES AMORIE VAN DER HOEVEN

ORATIO

DE

GERMANO THEOLOGO,

LITERARUM SACRARUM INTERPRETE,

HABITA AMSTELAEDAMI IN

AEDE SACRA REMONSTRANTIUM,

CUM IN

EORUM SCHOLA THEOLOGIAE ATQUE HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSIONEM

SOLENNI RITU AUSPICARETUR

A. D. XXVIII. Novembr. Ann. MDCCCXXVII.

DELPHIS BATAVORUM,

Apud Viduam J. ALLART.

1828.



TYPIS C. A. SPIN.

ABR. DES AMORIE VAN DER HOEVEN

ORATIO

DE

GERMANO THEOLOGO,

LITERARUM SACRARUM INTERPRETE.

SEMINARII HUJUS CURATORES SUMME VENERANDI, DOCTISSIMI!

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS CONSUL ET SENATORES, QUIQUE HIS AB ACTIS ESTIS, VIRI AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUI JURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI!

INSTITUTI REGII BELGICI SODALES NOBILISSIMI!

ILLUSTRIS ATHENAEI, SEMINARIORUMQUE EUANGELICO-LUTHERANORUM AC TELEIO-BAPTISTARUM CURATORES, VIRI GRAVISSIMI!

VIR CLARISSIME, DECESSOR HONORATISSIME!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES CELEBERRIMI!

MATHESEÖS ET ASTRONOMIAE LECTOR EXPERIENTISSIME!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES, PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

ORNATISSIMI ADOLESCENTES, SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS!

VOS DENIQUE, QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE LOCI, ORDINIS, DIGNITATIS, AUDITORES HONORATISSIMI!

Cogitanti mihi saepenumero, et animo complectenti religionis illius divinitus patefactae praestantiam, quâ miseros mortales beavit Deus Optimus Maximus, triste ante oculos obversatur Ecclesiae

Christianae, tot tantisque litibus quassatae, et miserum in modum dilaceratae spectaculum. Quot dissidia, inde ab ipsis fere hujus Ecclesiae incunabulis usque ad haec nostra tempora, turbarunt orbem Theologicum! Quot jurgia, quot rixae, quot irae, animis coelestibus heu nimis indignae! Quas qui cognoverit, verae Christi doctrinae rudis, nonne eum sponte inducerent ad credendum, Codicem Sacrum, quo illa continetur doctrina, librum esse aut nugarum ineptiarumque aut aenigmatum quorumvis plenissimum, ita ut altero, qui illa solvat, opus sit Oedipo? Inspectis autem Novi Foederis tabulis, ut se deceptum totoque coelo errantem videret! Quam praeclara hîc omnia, quam sublimia, quam vere divina! sed simul quam aperta, perspicua, simplicia! Mira ubivis cernitur veri pulcrique conjunctio, neque ulla offendimur inani quaestione. Sed tanta fuit hominum perversitas, ut, doctrinae illius simplicitate atque eximia nec fucata pulcritudine spretis, ipsam ad placita philosophorum accommodare, divinamque sapientiam ingenii humani commentis exornare studuerint.

Quo facto legitimam Sacrorum Librorum interpretationem in dies magis negligere coeperunt Theologi, et fontem non curantes rivulos consectati sunt. Hinc illae lacrymae! Hinc absurdissima dogmata spinosaeque quaestiunculae, vix dignae lucubratione anicularum! Hinc lites et odia et decertationes cruentae! Hinc religio Christiana sordibus inquinata scholasticis, et ex coelesti vitae instituto in aridissimum disciplinae genus conversa!

Quae cum ita sint, A. A.! cumque acres illae de religione lites hac nostra aetate denuo a nonnullis magno animorum aestu nec sine ira agitentur, nonne omnes, quotquot sincero Christi amore pacisque studio ducantur, huic malo unicam, quae in recta oraculorum divinorum interpretatione posita est, medicinam afferre studerent? Equidem, ut quae sentiam dicam, hoc Literarum Sacrarum studio nil prius Theologo habendum esse censeo, antiquius nihil. Itaque provinciam perhonorifice mihi oblatam hac hora suscepturo, et pro hac doctissimorum virorum corona verba facturo, hanc potissimum dicendi materiam eligere mihi visum est, ut

in hoc ipso ad novum hunce honorem aditu adpareat omnibus, qua ratione gravissimo, quod jam capesso, munere fungi cupiam. Dicam igitur *de germano Theologo, Literarum Sacrarum Interprete.* Quod orationis argumentum neque ab hac loci opportunitate, neque a persona mea, neque ab iis, quae vivimus, temporibus alienum fore confido. Auditores autem humanissimos, ut meam et ingenii et dicendi mediocritatem aequi bonique faciant dentque veniam orationi, cujus non gloria nobis causa sed utilitas officiumque fuit, etiam atque etiam rogo.

Germanum Theologum cum voco illum, qui in Sacrarum explicatione Literarum omnem operam et industriam suam collocat, nolite putare, A. A! me reliquas omnes disciplinas, quae ad Theologiam vel pertineant vel aditum parent, parvi facere aut contemnere prorsus. Qui neglectis omnino aut de limine tantum salutatis literarum elegantiorum et philosophiae studiis in Theologiam incumbunt, nae illi frustra desudabunt! Solem enim e mundo tollere

videntur, qui e disciplina nostra tollunt literas, neque ab illarum studio, vel per quietem verberibus caesus, quod HIERONYMO accidisse memoriae proditum est, abduci sese patietur veri nominis Theologus. Philosophiam autem quod attinet, sunt, qui illam e campo Theologiae furcis expellendam esse clamitent, utpote omnium errorum, argutiarum et inanium contentionum matrem foecundissimam. Qui si illorum amentiam dicam an impietatem perstringant, quos, glorioso philosophorum titulo insignitos, sophistas potius appellandos, sanctissimam religionem verborum barbarie et delirantis ingenii somniis inquinasse testatur historia, me suae velim adscribant sententiae; sin vero in ipsam invehantur philosophiam, germanam illam, quae indagat, quid pulcrum, verum justumque sit, videant quorsum tendat oratio! Qualis, quaeso, illa esset religio, quae harum rerum reformidaret indagationem? At non est ita, A. A. H. H.! non est profecto. Vera religio veraque philosophia amice conspirant. Hujus expers Theologiae cultor illius praestantiam, vim salutarem, divinam originem

penitus perspectam et exploratam habere nequit. Quid? quod secundum justas verasque leges ne interpretari quidem poterit, qui philosophari nesciat.

Sed nolo hisce diutius immorari. Pergamus ad reliquas disciplinas, quae partes Theologiae vulgo censentur; Theologiam Historicam puta, Dogmaticam, Practicam. Harum nullam impune negligat, qui amplissimo fungatur Theologi munere. Et historicam quidem Theologiam, quae fata Religionis et Ecclesiae tradit, in illâ Deum, in hac vero hominem ubivis agentem monstrat, et coelestis instituti terrestres formas exhibet; dogmaticam porro, quae veritates, e Sacro Codice sanae Exegeseös ope erutas, dilucide proponit, illustrat, defendit; practicam denique, quae ipsas ad vitae usum, ad hominis emendationem convertit; has igitur omnes disciplinas, Theologo non modo utilissimas sed prorsus necessarias esse, valde imperitus aut iniquus sit, qui negare sustineat. Neque ego adeo imperitus aut iniquus vobis videri velim, A. A.! Quapropter in ipso hujus orationis introitu hanc ignominiam a me depellendam esse duxi, nec com-

mittendum; ut, quum de germano Theologo Sacrarum Literarum interprete dicam, caeterarum, quae Theologum cum maxime ornent, scientiarum sive utilitatem sive necessitatem in dubium vocare videar. Sed illud volo, illud contendo, Codicis Sacri interpretationem principatum tenere in Theologiâ, reliquas disciplinas illius ministras esse ac comites dicendas. Haec sola regnet, imperet, dominetur! In hanc toto pectore incumbat, qui Sacrae disciplinae vitam suam addixerit, atque praecipuas Theologi partes in divinorum illustratione librorum occupatas esse debere ita sibi persuasum habeat, ut, quid sit in toto studio Theologico primum, interrogatus, Sacrarum interpretationi Literarum palmam det, eique secundum et tertium locum, donec ab eo quaeri desinat: ut eam videri possit non praecipuam judicare sed solam.

Fortasse miretur quis, me illud studium Theologiae caput et arcem appellare, quod omnium videatur facillimum. Est videlicet genus quoddam hominum, qui, quamquam eximiae illius artis, quae in Sacrorum explicatione Librorum versatur, pror-

sus ignari, Interpretis tamen partes agant, quique adeo mirentur, nostra si vera sit sententia, se amplissimo Theologorum ordini annumerandos esse. Horum autem stultitiam dubius haereo, utrum magis joco excipiendam an commiseratione arbitrer. Quantis difficultatibus prematur Sacri Codicis interpretatio, quantoque eruditionis apparatu ad Interpretis munus rite obeundum opus sit, ERNESTIUS aliique summi Viri satis superque ostenderunt. De gravissimo autem hoc munere copiose dicere si vellem, nae dies me ac latera deficerent. Nonnulla vero huc spectantia obiter monere, res et instituti nostri ratio postulant.

Et ante omnia quidem probe tenendum est, quid sit illud interpretari. Rei definitionem si quaeras, praesto est. Interpretatio (ut monuit WYTTENBACHIUS, nostrae quondam Scholae decus et ornamentum) est oratio, quae efficit, ut alterius orationem intelligamus. Intelligimus autem alterius orationem, quando ei eundem, quem ipse alter, adjungimus sensum. Hoc igitur sibi proponere debet Sacrarum Literarum Interpres, ut quaenam

cuilibet loco subjecta sit sententia, primum candide inquirat, dein dilucide exponat. Quod ut consequatur, in libris divinis interpretandis non aliâ versatur ratione, quam in humanis. Justâ et accuratâ literarum scientiâ instructus, sensum verborum per usum loquendi, orationis seriem et locorum similitudinem reperire instituit, repertum accommodate ad cujusque linguae indolem exprimit, argumentis e Grammaticorum disciplinâ petitis confirmat, atque ex verbis recte intellectis rerum scientiam assequitur. Praeterea Criticum agens, suo quodvis auctori vindicat opus, neque alienum ei tribuit, lectiones veras a falsis discernit, et, quantum fieri potest, orationem ita constituit, quemadmodum ipsi illam literis mandarunt auctores. Sed nos haec pingui tantum Minervâ. Duo autem hic inprimis notanda sunt.

Et primum quidem ab unoquoque, qui Interpretis munere laudabiliter fungi velit, illud jure merito peti posse videmur, ut ne in solis verbis haereat, sed in scriptoris mentem consiliumque penetret. Quod profecto non sine causâ monemus.

Quis enim nescit, permultos esse Interpretes, qui rem suam mirifice a semet ipsis gestam putant, cum verborum formularumque significationes tradiderint, de vero loci sensu parum solliciti. Evolvite mihi, quaeso, horum commentarios, innumeris Graecorum Latinorumque Scriptorum locis refertos, quibus singula illustrantur verba, quae vero ad ipsam horum sententiam aperiundam nihil prorsus faciunt. Hoc scilicet est interpretari! Bone Deus! Quantum lucis difficiliori, quem expedire studes, loco hac verborum colluvie allatum est! Spissis hisce libris de manibus positis, cum Demiphone illo Terentiano exclamas: fecistis probe, incertior sum multo, quam dudum! Istos vero mittamus, qui inanem eruditionis laudem venantur, magistros. Sunt alii melioris notae Interpretes, qui tamen hanc in partem non omni culpâ vacare mihi videntur. Nimirum grammaticâ interpretatione contenti negligunt plane historicam. Non quidem sum nescius, A. A.! quot quantaeque de illâ sic dictâ historicâ interpretatione, praesertim in Germania, a SEMLERI inde tempore agi-

tatae sint lites, quamque gravia illius abusus Religioni inflixerit vulnera. Sed de abusu non loquimur. Facessant omnes, qui, hominis Christiani nomen mentiti, fidem Christianam evertant, maximamque Jesu et Apostolorum doctrinae partem ad mera referant commenta Judaica. Istorum autem impietatem cum toto animo horreatis, caveatis, quaeso, ne in ipsam rem transferatis re abutentium culpam. Scriptores enim divinos ad aequales suos scripsisse, adeoque mores, ritus, consuetudines et opiniones sui temporis frequenter ob oculos habuisse, quis tandem negaverit? Interpretis igitur est consulere historiam, scriptoris ingenium, eamque cogitandi ac dicendi rationem, quae ipsius aetate invaluerit; ut hisce cognitis intelligi queat, quid scriptor divinus cogitaverit, cogitarique a legentibus voluerit. Illud autem utrum ad grammaticam referre velis interpretationem, quod nonnullis visum est, an historicae sive grammatico-historicae nomine appellare, quod aliis placuit, susque deque habeo. Nomen non curo: rem volo; quâ neglectâ, Scriptoribus Sacris nostri aevi no-

tiones tribui, opinionesque affingi, de quibus ne somniaverint quidem, et loquitur res ipsa et docet ingens παρερμηνειων numerus.

Et ita quidem sponte ducimur ad alterum illud, quod observare fuit animus. Nimirum recte judicarunt ac praeceperunt omni aevo viri Hermeneutices peritissimi, efferendum esse sensum e Libris Sacris, non aliunde esse inferendum. Interpretes enim permulti nihil magis student, quam ut auctorum divinorum sententias ad peculiaria, nescio quorum, Philosophorum aut Theologorum placita doctrinasque flectant et torqueant, Chryssippum imitati, quem Orphei, Musaei, Hesiodi Homerique fabellas accommodasse inquit Cicero, ad ea, quae ipse de diis immortalibus dixisset; ut etiam veterrimi poëtae, qui hoc ne suspicati quidem sunt, Stoici fuisse videantur. In quod vitium inciderunt quoque KANTIUS ejusque asseclae, qui adhibita morali, quam vocant, Sacras Literas interpretandi ratione, Jesum et Apostolos ita faciunt loquentes, ac si fuissent Kantiani. Ab hac vero labe integrum se et intactum servet, quicunque veri interpretis

personam sustineat. Exponere enim sensum Sacrorum Librorum, non suas illis opiniones imponere debet interpres; illumque jure merito impietatis reum postulamus, quicunque ingenii humani commenta Sacris Literis affingat, eaque pro divinis oraculis aliis veneranda obtrudat.

Sed haec hactenus. Iis, quae huc usque diximus, satis declaratum esse putamus, quale sit illud interpretandi genus, in quo rei theologicae caput et summam, initium et finem esse, jam paulo accuratius est demonstrandum. Verum, hîc ita nobis occurrat quis, ut quaerat, operaene pretium facturi simus, qui illud jam probare aggrediamur, quod vix aut ne vix quidem in dubium vocari possit? Atqui, o bone! recte mones, sed non tam recte, ut tute tibi videris. Et id quidem lubentèr damus atque concedimus, nostram orationem in eâ versari causâ, quae, ut primum cognita est, omnium suffragia ferre mereatur. Quod autem idcirco nos hoc labore commode supersedere posse credis, ab hac sententiâ tantum nos abesse profitemur, ut potius haec de tectis tradenda et quavis

opportunitate inculcanda existimemus. Quis, quaeso, ille est in orbe theologico hospes, qui nesciat, permultos esse disciplinae nostrae cultores, qui vel legitimam illam, quam omnibus aliis artibus scientiisque anteponendam censemus, Sacrarum Literarum interpretationem alto supercilio contemnant, vel, cum videant meliora probentque, deteriora tamen sequantur? Ut enim illos taceam, qui lumine, quod vocant, interno gloriantes, Sacri Codicis investigationem supine negligunt; nonne alii, ad unam disciplinam suam tamquam ad saxum adhaerentes, in definitionibus scholasticis potius quam in Sacris Literis Theologo desudandum esse verbis et factis declarant? Alii vero, mentem divinam ingenii sui modulo metientes, ex unâ sapiendum dictitant ratione humanâ? Et inter ipsos illos, qui a solâ Sacrorum Librorum auctoritate standum esse judicant, Theologos, nonne bene multi inveniuntur, qui in tradenda tamen Religionis doctrinâ multo magis dogmaticis rationibus quam justâ et accuratâ harum Literarum interpretatione ducuntur? Quae cum ita sint, A. A.! nequaquam

oleum et operam perdituri nobis videmur, si hunc demum germanum esse Theologum, qui divinarum studium literarum tamquam ἔργον et finem tractet atque ex uno sapiat Codice Sacro, primum rationibus ex rei ipsius naturâ ductis, deinde historiae testimoniis comprobemus.

Et Theologia quidem, ut hinc ordiar, est subtilior Dei rerumque divinarum scientia. Haec vero scientia, sive erudita sit et subtilis, sive popularis et ad captum uniuscujusque hominis comparata, a Sacri Codicis fontibus haurienda est omnis. Neque enim solâ rationis ope acquiri, aut e scriptis philosophorum peti potest. Fateor equidem, hominem attenta sui ipsius hujusque universitatis contemplatione ad aliquam religionis notitiam pervenire posse, quod et luculenter docet historia. Neque is sum qui negem, veterum philosophorum libris multa contineri de Deo rebusque divinis praeclare monita. At illa bona quam innumeris malis et absurdis permixta sunt! De mundi ortu si quaeras, alii aeternum esse eum praedicant, alii

ex fortuito atomorum concursu coaluisse. De Dei providentia visne cognoscere, sunt, qui supera quidem ac coelestia Deorum nutu et consilio regi, haec autem inferiora incertis fortunae casibus agitari existiment; quid? quod ipse Cicero, licet ceteroquin rectius senserit, magna Deos curare, parva negligere contendit! Animi hominum an post mortem remaneant, si ex Epicuro quaeras, negat; Pythagoram vero si adeas, remanere illos quidem docet, sed ex corporibus in alia corpora migrare, ut (sunt verba MURETI) idem sit forte hodie gallus gallinaceus, qui tempore belli Trojani fuerat Agamemnon. Mitto alia. Neque haec ita dico, quasi de virorum, quos antiquitas tulit, maximorum laudibus detrahere velim. Hoc unum volo, antiquorum philosophorum de Deo rebusque divinis doctrinam mancam fuisse et imperfectam; et si vel omnibus numeris absoluta fuisset, admodum dubiam tamen atque incertam. Humana enim erat, quae majori, divinâ scilicet, carebat auctoritate. Illud contendo, nos, luce divinâ carentes, gravissimas doctrinas ignoraturos esse, et

firmo ac stabili fundamento destitutos, huc illuc, tamquam incertis actos tempestatibus, fluctuaturos. At vero imbecillitati nostrae succurrere placuit Divino Numini. Deus (o rem omni praedicatione majorem!) Deus, inquam, generi humano mentem suam patefecit, et quum olim variis modis instituisset majores nostros per Prophetas, tandem nos edocuit per Filium. Haec autem oracula a viris sanctis, quorum mentes coelestis veritatis luce collustratae erant, literis consignari atque omnium saeculorum posteris memoriae tradi curavit, et Sacrum illum Codicem ex magna antiquitatis clade sospitem nobis fecit Ipsius providentia. Hic igitur perennis ille ac coelestis fons est, ex quo hauriant omnes, qui sapientiae sitim exstinguere cupiant. Hoc est sacrarium illud, quod qui intrent, initiantur mysteriis omnium maximis atque intaminatam spectant veritatem. Haec est scala illa, cujus gradibus in coelum scandere atque illic Deum intueri, quaeque Ipse in salutem hominum moliatur, stupefactus contemplari liceat.

Quid vero tu, homuncio! tuâ sic superbis sa-

pientiâ, quasi tota haec religio, quae in Sacris Literis traditur, solo rationis ductu inveniri queat? Ostendis mihi recentiorum libros, et, vide, inquis, quantos progressus fecerit philosophia! Sed hoc profecto non est aequitatis, praeclaram illam religionis morumque doctrinam, quae nostrorum temporum scriptis continetur, progressibus philosophiae tribuere. Haec enim doctrina, e Novi Foederis libris petita, Christiana fuit ante, quam erat philosophica. Quid igitur? rivulos sectari, eosdemque turbidos et inquinatos, quam limpidissimum fontem adire mavis? At regerat alius, cum ille obmutescat, Sacris Literis se omnino non indigere, ab ipso Deo se edoctum, ipsa sapientiae coelestis luce mentem suam collustratam esse, se igitur, se esse veri nominis Theologum! Itane vero? Non tui causâ Christus e coelo delapsus atque his in terris moratus est, ut miseris mortalibus doctrinam suam annunciaret vere divinam! Meliora tibi reservaverat Deus, et longe subliniora te edocuit! Sed quid hominem fanaticum perstringam, A. A.! Est iste germanae religionis contemtor, visionum somniorumque

jactator; perfricet frontem, si quam habet, et se Prophetis aut Apostolis annumerandum esse praedicet! Quin potius ad saniorem aliquando mentem redeat!

At rursus instant alii et urgent, minime solius Sacri Codicis rationem habendam esse: Patrum scripta cum Sacris Literis conjungenda: Libros Symbolicos in subsidium vocandos, atque ita religionis capita ad normam doctrinae publicae tradenda; tum demum muneri suo satisfecisse Theologum. Quibus habeo, quod respondeam. Veteris ecclesiae doctorum, quos vulgo Patres appellant, scripta magno apud me honore sunt. Uberrimos ex assiduo illorum usu in criticam et hermeneuticam, in historiam dogmatum, in eloquentiam sacram quoque redundare fructus statuo. Illorum igitur studium, ab ecclesiae nostrae doctoribus diutius quam par est neglectum, nostrâ autem aetate in Germaniâ jam feliciter excultum, etiam in Belgio a contemtu, operâ Cl. VOORSTII, Praeceptoris mei aestumatissimi, laetor vindicari. In judicandâ vero religionis doctrinâ eorum auctoritatem nihil valere contendo. Nam accommodarunt illi plerumque Sacras

Literas ad suam sentiendi cogitandique rationem, quo fit, ut qui ex illorum scriptis doctrinam Christianam cognoscere student, nebulam pro Junone amplectantur. Ad libros autem symbolicos quod attinet, conclamatam esse ac desperatam religionis causam, si ad eorum auctoritatem, tamquam aurum ad obrussam, exigatur doctrina, omnes intelligentes consentiunt. Illos enim libros ad Sacrarum Literarum normam componi, nec has ad illos flecti et contorqueri debere, docet res et ratio; nisi forte hujus illiusve coetus receptam doctrinae formulam primam esse fidei summamque regulam cum BOGERMANNO contendere velis.

Non vereor, A. A. H. H.! ne, quae huc usque disputavimus, in vestrum reprehensionem incurrant. Id autem vereor, ut vel sic tamen meam de Theologo sententiam omnibus probaverim. Nimirum objiciat mihi quis, Theologiae et Religionis discrimen me non satis attendisse; hanc quidem soli Sacrarum Literarum fundamento superstruendam esse, Theologiam vero non item. Bona verba, quaeso: Theologia a Religione discerni debet, sed

non ita, tamquam dissentiant inter se, et altera alteri repugnet. Theologiae enim objectum est Religio; atque ea demum vera est Theologia, quae cum Religione penitus consentiat. Sed ei Religionem discendi docendique rationi, quae ad popularem intelligentiam accommodata est; opponitur Theologia, quae est subtilior Religionis expositio. Verum haec subtilitas non in eo cernitur, ut nova dogmata procudat, germanae Jesu Apostolorumque doctrinae adulterina quaevis inmisceat, ac nativam ipsius simplicitatem atque splendorem sordibus scholasticis obruat. Θεολογεῖν δεῖ, οὐ τεχνολογεῖν inquit BASILIUS. Recte ille, imo rectissime. Doctrina divina ex ipso, quo continetur, fonte divino haurienda est, ac deinde investigandum, quid alii docuerint, senserint, statuerint; quae obvia, parata, oblata nobis sunt doctrinae capita exponenda, illustranda et ab adversariorum erroribus vindicanda. Ita condamus Theologiam exegetico-dogmaticam. Dogmatica enim, quae dicitur, Theologia proprie est historica. Antiquis certe Theologis dogmata non dicebantur ipsa religionis capita, sed de iisdem placita Theologorum.

Habetis meam de vera Theologiae ratione sententiam. Et ne quis forte putet me rem novam et inusitatam tentare, eximium MELANCHTONEM hujus rationis ducem habeo atque auctorem gravissimum. Ille igitur, editis *Locis Theologicis*, in quibus primum doctrinae Evangelicae systema traditur, ecclesiae nostrae doctoribus hanc viam pandit. Collectis enim locis aliquot gravioribus, e Sacro Codice petitis, ordine destributis, ac veluti in tabellâ propositis, et adjunctâ deinde historiâ, religionis Christianae doctrinam pure et candide exponere studuit, nullis nugis scholasticis nullisque controversiis theologicis turbatam. Sed ipsum audiatis virum, sic disputantem: „Indicantur hîc Christianae disciplinae praecipui loci, ut intelligat juventus, et quae sint in scripturis potissimum requirenda, et quam foede hallucinati sunt ubique in re theologicâ, qui nobis pro Christi doctrinâ Aristotelicas argutias prodidere. Non hoc ago, ut ad obscuras aliquas et impeditas disputationes a scripturis avocem studiosos; sed ut, si quos queam, ad scripturas invitem. Imo nihil perinde optarim, atque si fieri possit Christianos

omnes in solis divinis literis liberrime versari et in illarum indolem plane transformari. Nam cum in illis absolutissimam sui imaginem expresserit divinitas: non poterit aliunde, neque certius, neque proprius cognosci. Fallitur, quisquis aliunde Christianismi formam petit, quam e scriptura canonica." Haec ille. Et quamquam non ab omni temporum suorum labe immunem se praestare potuit, quod nemini mirum sit, dignus tamen fuit Philippus, qui ab omnibus fere sui saeculi Theologis summis extolleretur laudibus. LUTHERO certe rationem suam ita probavit, ut hunc librum non modo immortalitate sed et canone ecclessiastico dignum judicaret. Hujus itaque viri, mirifico pacis studio haud facile dixeris an exquisitâ eruditione majoris, vestigia premat Theologus. Hunc, magnum disciplinae suae Statorem, Melanchtonem, inquam, sequatur ducem, hujusque exemplo edoctus, Sacram Scripturam adhibeat Theologiae magistram. Reliquae artes atque doctrinae ei tamquam servae ac pedissequae pareant; quae si imperant ac dominantur, Theologiam habebis scholasticam, sophisticam, quam eodem

jure atque ineruditam Theologiam *Iliada malorum* dicere potuisset ipse ille Melanchton.

Sed historiae campum semel ingressis ultro se nobis offerunt alia, quae cum ad illustrandam tum ad firmandam nostram sententiam mirifice valent. Historia enim, testis temporum, lux veritatis, magistra vitae, hoc evidentissime docet atque declarat, quo magis aut exculta aut neglecta fuerit legitima Sacri Codicis interpretatio, eo meliorem etiam aut deteriorem fuisse Religionis atque Theologiae conditionem. Jam apud gentem Judaïcam, quamquam una inter omnes verum Dei cultum teneret, miserrimum fuisse, Servatoris aetate, religionis statum; hujusque rei non aliam exstitisse causam, quam quod Judaeorum magistri atque doctores, spretis oraculis divinis, inania traderent opinionum commenta, non est quod memorem. Sed Christus venit in terras, et magnus ab integro saeclorum nascitur ordo. Discipulorum gregibus stipatus, Palaestinam obambulat Servator, et audientium mentes coelesti suâ doctrinâ imbuit. In omnibus Ejus sermonibus elucet majestas vere divina, cum mira

quadam simplicitate conjuncta. Utitur plerumque imaginibus, a rebus naturalibus et domesticis, a liliis, passerculis, ovibus ductis, quibus sublimiores de providâ Dei curâ, de Ipsius clementiâ, deque regno coelorum illustrat doctrinas. Tandem e terra decedens, opus ab Ipso inchoatum Apostolis absolvendum relinquit. Hi, spiritu divino afflati, orbem terrarum peragrant coelestis doctrinae praecones. Crescit in dies discipulorum, Christi nomen profitentium, numerus. Fratrum instar conjuncti sunt, atque ita se gerunt, ut unam omnes constituere familiam videantur. Paucis simplicissimisque verbis continetur fides Christiana. Sic aurea prima sata est aetas, quae, systemate nullo, sponte suâ, absque Synodis et Libris Symbolicis Deum Christumque colebat. Tanta enim erat Codicis Sacri reverentia, ut extra eum sapere aut quidquam definire auderet nemo. At quam cito aurea illa evanuit simplicitas! Nimirum humanam sapientiam in religionis doctrinam transtulerunt homines, ut eo majorem illi conciliarent auctoritatem et splendorem scilicet! Exstiterunt Patres, viri multis no-

minibus laudandi, sed quos tantus ceperat Graecae philosophiae amor, ut religionis causam desperare viderentur, nisi cum Platonis et Aristotelis causâ copularetur. Sensim omni fere simplicitate, puritate et dignitate suâ destitui coepit religio. Sacri Codicis studium negligi. Doctorum tantum et Conciliorum decreta evolvi. Theologi nil nisi argutias tradere et horrida placita. Quid reliqua persequar? Insecuta est nox, nox densissima. Ignorantiae et superstitionis servitute oppressa jacebant hominum ingenia, et eo jam res deducta erat, ut (incredibile dictu!) unus e Clericis librum esse repertum questus sit, Graece exaratum et Novum Foedus dictum, sed pestiferum, spinis et serpentibus plenum!

Hujus igitur exsecrabilis superstitionis causa ut in turpissimâ oraculorum divinorum inscitiâ posita erat, sic instauratum Sacrarum Literarum studium emendandae religioni atque theologiae ansam dedit. Sacer enim Codex cum e tenebris, quibus diu occultus latuerat, in lucem protrahi coepit, ecce! debellatur superstitionis monstrum, et nitori pristino

restituitur doctrina Christiana. Exorti sunt Erasmus et Lutherus, quorum uterque interpretandis Sacris Literis felicem navavit operam, atque de religionis causa immortaliter meritus est. Horum igitur duumvirorum, eorumque, quos laboris socios habuerunt, vestigia si legissent Theologi, proximis ab instauratione sacrorum temporibus, auream aetatis Apostolicae simplicitatem ac splendorem nativum sensim sensimque recuperasset religio. Sed in locum auctoritatis Pontificis Romani, quam prosperrimo successu oppugnaverat Lutherus, deinceps eheu! alia substituta est auctoritas, Patrum scilicet, Augustini inprimis, et Librorum Symbolicorum. Nimirum non omnem faecem Pontificiam statim expellere, non omnes sordes scholasticas continuo eluere poterant homines; atque ita factum est, ut Theologia, vix a Melanchtone fundata, tanta opinionum inanitate, distinctionum futilitate, verborumque barbarie denuo conspurcaretur, ut per multos annos repurgari non posset. Exstitit tandem HUGO GROTIUS, docti stupor unicus orbis, cujus immortalis viri in interpretationem Novi praeser-

tim Foederis merita talia ac tanta fuerunt, ut illius ab ore hodieque pendeant melioris notae interpretes ad unum omnes. Eodem autem, quo ille floruit, saeculo exorti sunt plures Theologi, pietatis pariter atque eruditionis laude insignes, qui Theologiam scholasticam, quae religionem pessum dederat, ex scholis suis proscripserunt, et libero de religione judicio usi, non ab hominum placitis sed ab oraculis divinis divinam petiere sapientiam. Horum itaque virorum operâ ac studio novam Theologiae affulsisse lucem, grati lubentesque fatentur, nostris certe temporibus, doctissimi quique Theologi. Quid ARMINIUM dicam, quid EPISCOPIUM et CURCELLAEUM aliosque summos viros, quibus secta nostra gloriatur, si secta dicenda tamen, quae, solo Sacrarum Literarum fundamento subnixa, nil ardentius exoptat, quam ut disjecta eheu! Christi corporis membra iterum in unum ecclesiae coeant corpus, unde eam *sectarum omnium devoratricem* dicere solebat GROTIUS. Verum illorum merita recensere, et universe recentioris memoriae exempla afferre vetat me temporis ratio. Ex dictis autem

jure merito concludere nobis videmur, primum, veram Religionem atque Theologiam cum legitimâ Sacri Codicis interpretatione et stetisse et cecidisse; deinde, eos semper principes fuisse Theologos, qui non a Doctorum Conciliorumque decretis, sed a solis oraculis divinis pendebant, et toti quanti se Sacris Literis tradebant erudiendos.

Explicitâ ferè et comprobatâ nostra de vera Theologiae ratione sententia, restat, ut paucis ostendam, nostris potissimum temporibus illam Theologis summopere commendandam esse, ac simul salutares, quos inde sperare licet, fructus vobis, A. A. H. H. l. ob oculos ponam.

Quis, quaeso, hodierni Theologiae statûs usque adeo ignarus est, qui summam sanctissimae nostrae disciplinae cultoribus adhibendam esse cautionem non videat? In varias partes abiere nostri aevi Theologi. Et alii quidem pro antiqua illa et scholastica Theologia acriter dimicant, pristinamque barbariem revocare armis et castris tentant. Quibus equidem non conviciis aut cachinnis, sed justâ po-

tius Sacri Codicis explicatione occurrendum esse statuo. Fateor et illos oraculorum interpretationem divinorum in consilium adhibere. At qualem! quae verba scripturarum tantum ubique significare praecipit, quantum possint; quae omnia κατὰ τὸ ῥηθὲν intelligere, nullam hominum temporumque rationem habere, et auctorum divinorum sententias ad receptam doctrinae formulam accommodate explicare jubet. Haec vero non est illa, quam commendavimus, historico-grammatica Sacrarum Literarum interpretatio, quam qui sequatur Theologus, nullo modo horum erroribus implicari aut ad hunc scopulum allidi poterit. Verum Charybdin tuto praetervectus, curabit simul, ne in Scyllam incidat. Alii enim, ab his toti diversi, universum doctrinae religionis complexum unius rationis fundamento niti, atque ex ea sola repeti posse existimant. Quorum insipientem sapientiam abhorret veri nominis Theologus! Profecto non is ego sum, qui rationis usum a religionis doctrina remotum velim. Absit illud quam longissime! Non frustra nobis eximiam illam mentem, divinae particulam

aurae, tribuit Summum Dei Numen. Atque Jesu Apostolorumque doctrinam cum rationis principiis penitus consentire, non ultima religionis Christianae laus est. Sed alio tendit Rationalistarum familia. Nimirum e religionis doctrina proscriptum volunt, quidquid unâ nitatur auctoritate divinâ. Omnia igitur, quae ratione humana superiora sunt, qualicunque interpretatione ad rationis humanae ditionem detrudere student. Quod ut consequantur, Sacram Scripturam, tamquam equuleo impositam, torquent tamdiu, donec ea proferat, quae cum propriis suis ac peculiaribus placitis mirifice congruant. Divinam porro Jesu Domini legationem dubiam reddunt et incertam. Miracula, ab Ipso edita, e legibus naturae explicant. Urgent denique doctrinae Christianae perfectibilitatem. Horridum vocabulum, horridior sententia! Illa enim, quam mentibus suis informarunt, religionis Christianae perfectio ejusmodi est, ut, gravissimis Jesu Apostolorumque doctrinis sublatis et rejectâ prorsus revelatione divinâ, ad meram revocetur religionem naturalem.

Germanus autem Theologus, qui ex uno sapit Codice Sacro, ab horum impudentia aberit quam longissime. Sanae Exegeseös ope sedulo ac prudenter inquirit, quid doceant scriptores sacri. Quod autem doceant, id pie credit aliisque credendum proponit. Nihil vult additum, demtum nihil; quaeque humanum captum superant, nequaquam ingenii sui modulo adstringere sustinet.

Cum autem constans doceat experientia, ita semper fieri solere, ut, jacente ac prostratâ religione, complures, multarum dubitationum fluctibus acti, et tandem infelicis illius conditionis pertaesi, in Fanaticorum castra se conjiciant, mirum non est, hodieque multos sub Mysticorum signis militare. Hi vero, phantasiae lusibus indulgentes, Sacras Literas aeque ac rationem contemtui habent. Interpretationem certe grammatico-historicam nauci floccique faciunt, spiritualem potius seu allegoricum quaerentes sensum, et decantatum illum ac misere cruciatum Pauli locum semper in ore habentes: τὸ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δε πνεῦμα ζωοποιεῖ.

Intelligitis, ni fallor, A. A! quantum undique

hac nostrâ aetate Theologo immineat erroris periculum, quamque ei omni curâ atque studio enitendum sit, ut habeat, quo pedem figat, nec miserum in modum in avia ac devia abripi sese patiatur. Simul vero vobis planum esse arbitror, omnes illos errores atque turbas non aliunde oriri, quam ex neglecta Sacrarum justa ac legitima explicatione Literarum. Huc igitur omnem laborem, omnem operam, omnem denique diligentiam referat Theologus. In Sacrum Codicem sedulo inquirat; huic fidem habeat. Qui hunc solum sequitur ducem, omnium minime aberrabit. Ille demum omnes hosce scopulos evitare poterit, seque tutum praestabit tum a foedissima superstitionis servitute, tum a misera incredulitatis et scepticismi sterilitate, tum denique a mysticorum tenebris vanissimisque ingenii somniis.

Utinam omnes Theologi id sibi persuasum haberent, ita sentirent, ita agerent! Tanta profecto exinde in rem Christianam redundarent emolumenta, ut iis recensendis impar sit oratio mea. Tum demum priscae suae simplicitati, puritati ac

dignitati restitueretur religionis Christianae doctrina, e limpidissimo Sacrarum Literarum fonte petita. Nullis amplius peregrinis pannis velata foret; nullo coeno oblita, nullis onerata argutiis; sed simplex, intaminata, coelesti nitens candore illo, quo Jesus Ejusque legati ipsam tradidere. Sane, si cum scholastica illâ Theologia religionem comparo Christianam, miram doleo hominum perversitatem, quae divinam hanc doctrinam tali induerit ornatu! Sed Theologia hominum opus, Religio Dei. Opinionum commenta delet dies, veritatis judicia confirmat. Vana Sacri Codicis commentaria evanescunt: ipse perstat immutabilis!

Ut autem taceam, quam bene doctrinae quoque morali hac ratione consuleretur, observetis, velim, quantum exinde utilitatis fructum caperet Eloquentia Sacra. Vetus est querela, paucos admodum omni aevo fuisse oratores sacros, qui viri eloquentes dici mererentur. Nec mirum. Cum enim hujus rei plures aliae sunt causae, tum et haec afferri potest, quod multi accuratum et assiduum Sacrarum Literarum studium turpiter negligunt. Est videlicet genus

quoddam religionis doctorum, hac nostra quidem aetate minus quam antea numerosum, nec tamen intermortuum, qui ad gravissimum suum munus obeundum nil amplius requiri existimant, quam ut corpus quoddam Theologiae memoriae mandent, ex quo deinceps loca petant et argumenta, quae clarâ ac sonorâ et, quantum fieri potest, Stentoreâ voce pro concione recitent. Longe aliter in amplissimo hoc munere versabitur Doctor Christianus, qui oraculis divinis perscrutandis assiduo labore invigilat. Largam quippe ei praebet Codex Sacer dicendi materiam. Ab hoc, ceu fonte perenni, praestantissimarum haurit rerum copiam, quas *Emanationes Scripturarum* vocabat et subtilioribus dogmaticorum disputationibus longe praeferendas esse statuebat magnus ille BACO VERULAMIUS. Sed quid Iliada, quod ajunt, post Homerum canam, cum PALMIUS noster in divinorum interpretatione oraculorum summam oratoris sacri virtutem esse positam elegantissimâ oratione docuerit, et vero illustrissimo suo comprobaverit exemplo.

Denique (nam vela contrahenda sunt) hac demum ratione ad componenda hominum Christianorum

dissidia exoptatamque Ecclesiae pacem pangendam tutissimam sternemus viam. Quem non dolore afficiat tristissimum Ecclesiae Christianae turbatae, quassatae, dilaceratae spectaculum? Quis fidelis Jesu sectator non ab imo pectore petat, et ardentissimis votis Summum Dei Numen precetur, ut, quos fratres esse Christus voluit fraternaeque charitatis teneri vinculo, tandem aliquando rixarum litiumque pertaesi dextras jungant, atque uno ore, una *mente* Deum Christumque colant? Hujus autem voti si tum demum compotes fiemus, cum eadem de omnibus omnes sentiant, nae conclamata ac desperata Ecclesiae pax est! Talem qui quaereret consensum, reformanda ei forent hominum ingenia. Neque vero haec umquam exstitit unitas, nec exstare vel potest vel debet. Nullâne igitur superest diversos coetus Christianos inter se conciliandi via? Superest omnino. Ad Codicem Sacrum revertamur. Ad hunc, tamquam unicam fidei vitaeque normam, omnia exigamus. Tum brevi sedatae erunt turbae, placata odia, discordiae faces exstinctae, et pax, diu fugata et tamquam in exsilium missa, postli-

minio redibit. Veniet aliquando, veniet illud tempus (non vana auguror), quo antiquus suus Literis Sacris restituetur honos! Illucescet ille dies, quo Codex Sacer, per totum orbem terrarum divulgatus, populorum erit oraculum, suprema lex humanitatis! Tunc una omnibus Jesu sectatoribus mens erit, unus animus. Tunc in necessariis unitas, in non necessariis libertas, in omnibus charitas. Ad te igitur confugiamus, o vitae dux! o magistra morum, pacis conciliatrix! A te opem petamus: tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradamus. Est autem unus dies, bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus.

Laetum illud tempus ut accelerent Theologi, omni curâ atque studio ipsis enitendum est. Hoc vero ut consequantur, nequaquam perinde est, quo animo ad Sacrarum interpretationem Literarum accedant. Nimirum animo a praejudicatis opinionibus libero, pacis amantissimo et vere pio in hanc artem incumbant, oportet. Vere dictum est a Veteribus,

optimum esse interpretem eum, qui proxime ad *ejus*, quem interpretatur, divinitatem accedat. Quicunque animum habeat a veritatis, pietatis pacisque studio alienum, is a divinorum investigatione oraculorum tamquam profanus arceatur. Quare EPISCOPIUS nullis non mihi laudibus extollendus videtur, qui in gravi illa oratione, quam Academiae valedicturus ad studiosam habuit Juventutem, id sibi semper propositum fuisse fatetur, ut suorum pectora discipulorum ante omnia, veritatis, pietatis ac pacis amore imbueret. Quem virum quoties cogito (cogito autem saepius), verecundo pudore suffundor, qui jam illum locum occupo, quem ipse omnium primus illustravit. Sed et aliae accedunt rationes, quae me summopere commoveant et festi hujusce diei laetitiam frangant. Quae enim Episcopii, eadem et mea sors fuit. Aegre admodum a coetu Roterodamensium abduci me passus sum, nec ille me lubens dimisit. Linquenda mihi fuit patria civitas. Linquenda tot mihi carissima capita: pater senex, mater dilectissima, jam hisce duobus meis fratribus orbata, haud

pauci insuper amici integerrimi, quorum nonnullos, eodem studii genere mecum conjunctos, hîc mei causâ adesse laetus gratusque video, quibuscum per multos annos, constitutis horis atque diebus, inter Socratica pocula confabulari jucundissime mihi contigit. At vero omnes hasce cogitationes vicit Virorum Venerandorum, qui coetibus nostris praesunt, cunctisque suffragiis gravissimum hoc munus in me detulerunt, voluntas, cui equidem resistere non potui, ac si potuissem, noluissem. Nulla enim non onera lubenter sustinenda duco, nullas non molestias facile perferendas pro salute publicâ literarum et ecclesiae. Modo nullam haberem metuendi causam, ne negotium in me susceperim, quod humeri ferre recusent. Sed omnem meam spem, fiduciam omnem in Deo, Optimo rerum mearum Moderatore, repono, quem benignum atque propitium adesse omnibus, vero atque integro animo Ejus auxilium implorantibus, et Sacrae me docuerunt Literae, et omnis vitae meae anteactae comprobavit experientia. Coelesti itaque hoc auxilio fretus, honorificam provinciam mihi mandatam capesso,

atque omni id agam studio, ut, quod aetati desit et viribus, industriâ ac labore compensem.

Quod quidem Vobis praesertim spondeo, Viri Summe Venerandi, Seminarii hujus Curatores! Quâ ratione in gravissimo, quod mihi delatum est, munere versaturus sum, jam meâ qualicunque oratione Vobis aperui, qua mihimet Scholaeque nostrae alumnis hunc imitandum proposui Theologum, qui, nulli addictus doctrinae, solam Dei sequatur auctoritatem, a divinisque literis ducat divinarum rerum scientiam. Ea sane vivimus tempora, laetantibus bonis omnibus, quibus liberalior invaluit Theologiae tractandae ratio atque evanescere coeperunt sectarum odia. Habeo tamen, quod mihi gratuler, qui in hac Scholâ nostrâ sanctissimae Theologiae doctoris munere fungar, libero judicio, nullâ ejusmodi adstrictus necessitate, ut mihi, velim nolim, sit certa quaedam tuenda sententia. Hoc autem spondeo, me ex eorum semper fore numero, qui, prout jubet Apostolus, ἀληθεύουσιν ἐν ἀγάπῃ. Hoc pro certo Vobis polliceor, mihi nil potius, nil antiquius fore, quam ut, quantum

equidem possim, discipulorum meorum mentes summâ oraculorum divinorum veneratione et flagrantissimo Dei Christique amore impleam. Illud denique testor sancteque promitto, si quid est in me ingenii aut doctrinae, quod sentio quam sit exiguum, id omne in gravissimam hanc disciplinam me ita esse collaturum, ut Vestram de me exspectationem, superare cum nequeam, adaequare tamen mihi contingat!

Vos autem cum intueor, Viri Summe Venerandi! tristissima subit animum cogitatio. Frustra enim oculis meis quaero Socerum dilectissimum, et nondum sopito tam cari capitis desiderio nunc vehementius commoveor. Utinam hic adesset, et se voti sui compotem factum esse gauderet! Sed privatum meum luctum opprimere malo, quam acerbissimum vestrûm omnium renovare dolorem. Cum illo vero quis neget actum esse praeclare, qui ex hac laboriosâ et aerumnosâ vitâ ad quietem illam veram et perpetuam vocatus est? o! Ita sim felix, anima sancta! ut, Tuis insistens vestigiis, vitâ recte et utiliter exactâ, dilectus omnibus,

omnibus flebilis, ad beatas beatorum sedes transeam!

Ad Te mea se convertit oratio, Clarissime KONYNENBURG! Quominus praeclara Tua in me merita recenseam, Teque coram in os laudem, singularis illa Tua vetat modestia. Quem autem alumnum prosecutus es humanitate, quâ nulla major, eundum collegam et successorem diligere ne dedigneris. Sic autem existimes velim, ad quaevis Tibi humanitatis et amicitiae officia praestanda me semper paratum fore, quin paratissimum. Quod reliquum est, Vir humanissime! Deum Optimum Maximum supplex veneror, ut Tibi otium concedat laetum, senectutem jucundam, mortem beatam!

Quam vellem et hac horâ alloqui possem ceteros Viros Clarissimos, quorum lectionibus, monitis item et sermonibus me usum fuisse magnam felicitatis meae partem habeo. Per biennium enim in Academia Lugduno-Batava scholas frequentare mihi contigit PALMII, VOORSTII, SIEGENBEEKII, WYTTENBACHII, WYNPERSII, et, quem non ultimo loco

nominare debuissem, celeberrimi BORGERI, in ipso eheu! aetatis flore concisi. Horum omnium igitur Virorum praestantissimorum tanta in me exstant beneficia, ut quibus id rebus satis umquam declarare possim, nesciam. Deinceps vero huc delatus, Praeceptores nactus sum KOOPMANSIUM, virum non sine lacrymis et laudibus nominandum; HENGELIUM quoque, jam ab hinc decessum, ut qui olim Athenaei Amstelaedamensis, nunc Academiae Lugduno-Batavae decus sit et ornamentum; Te denique, Clarissime WILLMET! quem hîc praesentem et vigentem intueri vehementer gaudeo! Et Tibi gratulor otium, cum dignitate conjunctum! Quâ me hactenus ornare voluisti amicitiâ, illam ut mihi semper integram conserves, rogo Te et obsecro!

Vobis omnibus, Viri Clarissimi! qui, sive in Illustri Athenaeo, sive in Seminariis, hac in urbe conditis, gravissimas profitemini disciplinas, me quam commendatissimum cupio. Admittite me, quaeso, in Vestram amicitiam. Benigno animo excipiatis juvenem, qui, si doctrinâ et eruditione Vos aequare nequeat, id quod numquam futurum

esse reor, a nemine tamen obsequio et benevolentiâ facile se vinci patietur. Quod quidem si a Vobis longa oratione flagitarem, Clarissimi ROOYENS, MULLER et KOOPMANS! foret sane, quod amicitiae, qua me dudum prosecuti estis, diffidere viderer. Nos jam in eadem civitate, eodem fere tempore, eandem Spartam sortitos esse, id profecto tam gratum atque laetum mihi accidit, ut quibus verbis gaudium meum exprimam, non habeam. Tibi inprimis, amicissime KOOPMANS! me ita devinctum esse Tibi persuadeas velim, ut, quas Patri optimo persolvere nequeam grates, optimo Filio, paternae laudis haeredi, referre conaturus sim. Perpetua nos jungat, Collegae conjunctissimi! fraterna charitas; et conjunctis viribus eo tendamus, ut nos Theologiam profiteamur, e purissimo Sacri Codicis fonte petitam, et homines amorem Theologicum amorem vere divinum esse intelligant!

Tandem ad Vos me converto, Commilitones Optimi! Theologiae Studiosi! Vos inprimis compello, qui me studiorum comitem ac socium adhibebitis! Videbitis me quotidie causâ vestrâ efficientem quae-

cunque potero; conantem etiam ea, quae non potero. Accepistis, Sacrarum interpretationem Literarum fontem esse ac principium, unde omnis petenda est Dei rerumque divinarum scientia. Has itaque nocturnâ versate manu, versate diurnâ. Jam laeta rei Christianae affulget spes. Jam novus saeculorum nascitur ordo. Insigni utique tempore ad Theologica Vos accingitis studia. Quid statis igitur, Viri Juvenes! Per ipsam hanc Musarum sedem, per illos Grotios, Episcopios, Curcellaeos, Limborchios, consecrata ad omnem posteritatis memoriam nomina, oro Vos et obsecro, ut, in haec studia toto pectore incumbatis, oracula divina dies noctesque investigetis, et veritatis, pietatis, pacisque flagretis amore! Sic aliquando magni viri eritis, et germani Theologi!

DIXI.









